

Psalmus responsorius

Ps 32, 4-5. 18-19. 20 & 22 (R̄.: 5b)

R̄. Misericórdia Dómini plena est terra.

vel:

Allelúia.

⁴ Quia rectum est verbum Dómini,
et ómnia ópera eius in fide.

⁵ Díligit iustítiam et iudícium;
misericórdia Dómini plena est terra. R̄.

¹⁸ Ecce óculi Dómini super metuéntes eum,
in eos, qui sperant super misericórdia eius,

¹⁹ ut éruat a morte ánimas eórum
et alat eos in fame. R̄.

²⁰ Anima nostra sústinet Dóminum,
quóniam adiútor et protéctor noster est;

²² Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos,
quemadmódum sperávimus in te. R̄.